

inseruntur Christo, ut hoc medio fides ipsis conferatur & infundatur, quâ antè destituebantur.

36. Deinde falsa etiam interdum depræhenditur, quoad adultos: in quibus fieri potest, ut adsit fides historica: justificans verò demùm per baptismum illis conferatur.

37. Tum falsa est quoad firmam & robustam fidem respectu adultorũ in usu utriusque Sacramenti. Et si enim antè adest languida & infirma fides: tamen quod illa accrescit, quod confirmatur, & *πληροφόριαν* aliquam concipit: id Baptismi & sacre cœne præstat usus.

38. Aphorismum Christi Servatoris, Qui crediderit, & baptizatus fuerit &c. nostra cause nihil quicquam officere, ex distinctione Temporum liquido apparet.

39. Ad Gentiles enim missi erant Apostoli, quibus uti Evangelium prius annunciatum non fuerat: Ita nec à Baptismo initium conversionis fieri potuit, nec etiam debuit. Est enim Baptismus Ecclesie primum bonum, & extra eam administrari nullo modo debet. Prius igitur per prædicationem Evangelij colligenda fuit Ecclesia, in quâ postmodum fides professi demùm baptizarentur: nec hi soli sed & eorum liberi. Distinguendum igitur accuratè inter Ecclesiam demum colligendam & constituendam: & inter iam collectam auctoritatem.

Vellicat